

quam extra Urbem incendant in habitu condecenti, videlicet cum mantello seu gabbano extra Urbem, ita tamen quod per Urbem, videlicet per loca, ubi sit frequentia virorum, et ad palatium non vadant sine rochetto et caputio episcopali et in ceteris vestibus, et in aliis servent modestiam eis convenientem, et in domo teneant vestem longam.

Item quod ipsi patriarchae, archiepiscopi et episcopi eurent, ut eorum familiae honeste et recte iuxta eorum gradum vivant serventque et*[iam]* infra scripta, prout singulos respective concernunt, nec familiaribus suis in sacris ordinibus vel in aliqua dignitate ecclesiastica constitutis utantur in vilibus exercitiis nec in officio parafrenariatus.

Item quod inferiores praelati et clerici omnes, presertim beneficiati, portent tonsuram clericalem, ita ut praesbiter habeat maiorem quam diaconus, et diaconus quam subdiaconus et tonsura subdiaconi non sit minor uno julio. Qui si tonsuram clericalem non portaverint, non gaudeant privilegio clericali, et nihilominus clerici, qui beneficiati aut in sacris ordinibus constituti fuerint, possint per urbis ordinarios arbitrio ipsorum puniri.

Quod vero ad habitum: omnes clerici beneficiati, exceptis parafrenariis, portent vestem longam usque paululum supra talos, exceptis clericis, qui nec beneficiati nec in saeris ordinibus constituti fuerint, quibus liceat portare gabbanum longum subtus genu et biretum cum plica. Parafrenarii vero, ne impedianter in incessu, possint portare gabbanum longum usque ad medium tibiam vel cappam sine cappucio et biretum cum una plica. Omnes autem clerici, quicunque sint, abstineant a vestibus a iure prohibitibus, nec utantur alio colore quam nigro vel violaceo aut leonato. Et similiter abstineant a dipploydibus¹ et says² et caligis frappatis et desuper incisis,³ et a pannis pilosis, qui vulgo dicuntur cottonati, nec portent camisias ornatas auro vel serico, neque utantur monilibus sive collanis, quae appareant. Abstineant etiam omnes clerici ab ornamentis equorum seu mularum, et etiam a vestibus ad usum personarum suarum ab extra ex velluto, serico, vel damasco aut tali; possint tamen, si voluerint uti in dipploydibus et says vel aliis vestimentis copertis et non apparentibus, exceptis iis, qui in sacris ordinibus vel in dignitate ecclesiastica sunt constituti et canonicci cathedralium ecclesiarum, qui velluto, serico, damasco ac tali uti non possint praeterquam in dipploydibus. Ab eo autem, quod supradicitur de coloribus et serico, intelligantur excepti familiares continui commensales Sanctissimi D. N., qui iuxta antiquam consuetudinem colore rubeo, immo ad honestandam maiestatem sedis apostolicae, saltem in publicis actibus, uti. Quod vero ad penas, repetitur quod in proxime praecedente capitulo dicitur.

¹ Doppio mantello (vedi DU CANGE III, Niort 1884, 122).

² Sargia.

³ Stivaletti con scollature.